qui columba de celo et mansit super eum. Et ego ne-
sciebam eum sed qui misit me baptizare in aqua ille mihi dixit:
Super quem videris spiritum descendentem et manen-
tem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto.
Et ego vidi et testimonium perhibui quia
hic est filius dei. Deo gratias. Per istos dominus vo-
biscum. Et cum spiritu tuo. Oremus. Exorcismus salis.
Exorciso te creatura salis per deum vivum +
per deum verum + per deum sanctum + per deum qui te per He-
liseum prophetam in aquam mitti iussit ut sanaretur
sterilitas aque, ut efficiaris sal exorcizatum
in salutem credentium: et sis omnibus te sumenti-
bus sanitas anime et corporis, et effugiat
atque discedat a loco in quo aspersum fueris omnis
fantasia vel nequitia vel versutia dyabolice
fraudis omnisque spiritus inmundus adiuratus per
eum qui venturus est iudicare vivos + mortuos et seculum per ignem.
Inmensam clementiam tuam omnipotens eterne deus
humiliter imploramus ut hanc creaturam sa-
lis quam in usum generis humani tribuisti bene+dicere
et sanctificare tua pietate digneris: ut sit
omnibus sumentibus salus mentis et corporis, et
quicquid ex eo tactum vel respersum fuerit careat om-
ni inmunditia omnique impugnatione spiritualis ne-